

**Manes Viri ... Dn. M. Pauli Petrei, S.S. Theologiae Professoris in Academia Rostochiensi, ibidemq[ue] in aede Mariana Archidiaconi Fidelissimi**

Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775770507>


Druck Freier  Zugang



D a s e n i u s , G . ,  
i n  
**P . P e t r e u s .**

R o s t o c k , 1 6 1 2 .

35



16

16-17

*[Faint, illegible handwritten text]*

MANES  
VIRI REVERENDI ET CLARISSIMI,  
DN. M. PAULI  
PETREI,


*Rostock*

S. S. Theologiæ Professoris in  
Academia Rostochiensis, ibidemq; in æde  
Mariana Archidiaconi Fide-  
lissimi.

*Defleti cum à*

*Magnifico Dno: Rectore Academia  
Rostochiensis, Programmate  
publico.*

*Tum ab amicis & discipulis.*



ROSTOCHII

Ex Typographia Joachimi Pedani,  
Anno clō 1o CXII.

*(N. 22*

*10 fms*

RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
GEORGIUS DASENIUS  
Mathematicum Professor.



Um unicuiq; mortalium ubiq; locorum degentium, sub quotidianis miserimæ hujus vitæ casibus, innumerabilia mortis genera, singulis non tantam diebus & horis, sed etiam momentis extimescenda & expectanda sint, incertum est, quodnam illorum cuiq; subeundum sit. Ut autem nemo in societate humana existit, quem non inter ornamenta & dedecora alterna vice fortuna ludendo versaverit: ita neq; lætis eum continuè frui, neq; tristibus perpetuò ingemiscere lugendo patitur. Et quamvis pavidus carnis sensus ob id non nihil debilitari, & exitum ex hac vita infirmiter interdum vitare & fugere videatur, tamen mentis ratio diligenter enucleata, eundem fortiter præstolari & ferre non recusat. Itaq; omnibus temporibus omnes sani homines hoc egerunt, ut se adversus hujusmodi fortunæ procellas munirent, easq; vel fortiter ferendo lenirent, vel planè contemnendo averferentur. Eò quippe saniores Philosophi omnes ingenij nervos meditando intenderunt, omnem sapientiam ruminando contulerunt, omnes deniq; actiones exercendo direxerunt, ut de fine beatæ vitæ, à quo pendent cuncta, ad quem referuntur omnia, cogitarent, eundemq; tanquam scopum sibi propositum, ad quem collimarent, haberent, ad quem, veluti navigantibus ad cynosuram cursus dirigendus est, respexerunt, & in quo tanquam sacra anchora tandem acquiescerent. Id quod Cicero i. de Finib. venustè ostendens, Quid, inquit, est in vita tantopere quærendum, quàm

quàm quis sit finis ejusdem, quod extremum, quod ultimum, quò sint omnia bene vivendi rectèq; faciendi consilia referenda? Quapropter talem felicem finem defini-  
runt, & ἐνεκα πάντα πράττειν καθημένων, αὐτὸ δὲ πράττειν ἐδουὸς ἕνεκα, quem & ideo τέλειον τέλος, seu perfectum finem lib. I. Mag. Moral. Philosophus nominat, quo potiti nihil petimus ultra, vel egemus. Licet autem pleriq; illorum hoc ad totius vitæ humanæ cursum accommodare voluerint, tamen illud Ovidij

— — *diciq; beatus*

*Ante obitum nemo postremaq; funera debet,*

manifestè arguit, tam totius vitæ summā, quàm ejus felicem exitum eos simul intellexisse, studiose appetijisse, in eoq; demum acquievisse: quare Archedemus omnia officia vitæ humanæ implentem beatum prædicat. Hanc autem felicitatem non semper læta & jucunda, sed aspera & tristia comitari, & quemvis sapientem in officio retinere, præclare existimarunt, quod nullam virtutem absq; labore suam excellentiam exerere & exercere rectè statuerent. Incommoda enim, inquit Seneca, optabilia non sunt, sed virtus, quâ perferuntur incommoda. Tormenta abesse à me velim, sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, animosè, honestè geram. At inconveniens videtur, in cruciatibus aliquem dicere beatum? illam beatitudinem non efficit dolor aut morbus, sed patientis virtus: causa enim & finis omnia dura & aspera reddunt suavia & mitia in bona conscientia, ut apud Poëtam Cato proclamavit

— — *gaudet patientia duris,*

*Latius est, quoties magno sibi constat honestum:*

Quod confirmans D. Ambrosius, Non, inquit, frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis, sed etiam in ærumnis Beatus manet: cui astipulatur Salomō lib. Sap. cap. II. Cum audirent per sua tormenta bene



secum agi, persenserunt Dominum. Hujusmodi constantis patientiæ, inconcussæ fortitudinis, & indefessæ perseverantiæ exemplum in Rev: & clarissimo viro M. PAULO PETREIO p. m. Collega & amico nostro charissimo nunc nobis ob oculos ponitur, qui quamvis ante septimanas aliquot in morbum non adeo malignum inciderit, tamen succedente tempore adeo exasperatus est, ut ei non tantum varios & acerbissimos dolores & cruciatus corporis, sed etiam vitæ finem tandem attulerit. Is licet durius quodammodo insanabili ulcere excruciatu fuerit, tamen ob doloris magnitudinem, animi constantiam non fregit, sed in vera Dei invocatione & fide in Christum permanens, nudiusquartus ex hac mortali in immortalem vitam.

*Ibat ovans animis, & spe sua damna levabat.*

Cum autem prædictus M. PAULUS PETREIUS hic Rostochij 25. die Martij anno 1562. ex pijs & honestis parentibus hujusq; urbis civibus, Patre PAULO PETREIO viro bono, cujus manes sunt in benedictione, Matre CATHARINA KAEMEISTERS matrona castissima natus esset, ab iisdem ad pietatis doctrinam ab ipsis incunabulis sedulo assuefactus & educatus est, & cum eò ætatis pervenisset, ut cum fructu litterarum elementa percipere posset, primum scholam patriam frequentavit, in qua cum fundamenta prima, quæ ad florentis adulescentiæ captum requiruntur, fideliter jecisset, in Lubecensem missus est, in qua per aliquot annos bonis literis sedulam operam navavit, ut tandem idoneus censeretur, qui in Academiam patriam revocaretur, in qua peculiari zelo studio Philosophiæ Theologicum adjunxit, & in utroq; brevi temporis spacio tantos progressus fecit, ut tam in privatis quam publicis declamationum & disputationum exercitijs, sub Rever. & claris. viri, D. VALENTINI SCHAHTII p. m., cui semper charus fuit, præsidio, egregia eruditionis specimina edide-

diderit. Cum autem ipsius ingenij præstantia in studio Theologico præcipuè conspiceretur, illud ipsum ut magis excoleret, à Reverendis & præstantissimis hujus loci Theologis Amplissimo & prudentissimo hujus Urbis Senatu studiosè commendatus est, qui eum publicis sumptibus instructum, consilio & auxilio facultatis Theologicæ anno 1590. in celeberrimam Jenensem Academiam ablegavit, in quâ ubi bonarum artium & sacrarum litterarum pleniorém cognitionem mira industria assecutus, & titulo magisterij ornatus esset, statim sequenti anno à Senatu hujus Urbis in patriam revocatus, & in Reverendi ministerij ordinem cooptatus est, in quo primùm Diaconi munere in templo Mariano usq; ad annum 1609. functus est, deinde Archidiaconus factus, ministerium vita pia, honesta ac laudabili ornavit, nec labores suæ vocationi destinatos peccatis & alio tempore subterfugit, sed omnes officij sui partes pro virili obivit. Cumq; vir doctissimus & in Theologicis controversijs benè versatus esset, anno 1604. Rever. & clariss. viro, D. DAVIDI LOBBECHIO b. m. in Professione extraordinaria successit, in qua talem se præstitit, ut non exiguum ex ejus lectionibus, quas ex Epistola ad Romanos & priori ad Corinthios habuit, fructum auditores perceperint. Inspectionem etiam mensæ communis, sibi licet invito, & plus satis laboribus quotidianis distento, à Reverendo Academiæ concilio impositam, ita integro quadriennio administravit, ut ob fidem & industriam singularem, dignus judicatus fuerit, qui pluribus annis isti officio, maxima licet cum molestia conjuncto, præesset. Et quamvis magna & difficilis ars sit, præcipuè verò ministris Ecclesiæ, ut gratiam apud auditores suos sibi semper concilient ac retineant: tamen quia naturâ humilis & mansuetus erat, facillè eum non solum ipsius auditores unice amabant, verum etiam omnes, cum quibus conversabatur,

perferabant ac patiebantur: Pacem & concordiam cum omnibus colebat: non tamen nimium tribuebat lenitati, sed ubi res postulabat, eandem debita gravitate & severitate moderabatur, ita ut sine invidia laudem apud bonos mereretur: & amicos pararet: Sua etiam forte contentus, ab omni avaritia & ambitione erat alienissimus. Quia autem hæc vita multas ac varias molestias sibi semper conjunctas habet, ut, qui in publico officio constituti sunt, difficultates œconomicas soli administrare non valeant, iccirco prænominatus M. PAUL. PETREIUS, ne, si socia in administranda re familiari destitueretur, plus impedimenti, quàm adjumenti in vita sentiret, de matrimonio legitime contrahendo cogitavit, ac anno 1592. honestissimam & castissimam virginem, GERTRUDEM ESSÆAM, PETRI ESSÆI, quondam ministri Academiae nostræ fidelissimi filiam, in uxorem duxit, ex qua 4. liberos, quorum unus JOHANNES, egregiæ indolis adolescens adhuc superstes vivit, procreavit: quâ piè defuncta, anno 1602. ad secundas nuptias se contulit, & honestissimam ac omnium matronalium virtutum coronâ præditam MARGARITAM BOCATIAM, Reverendi viri, Dn. M. ANTONII BOCATII olim Ecclesiarum Parchimensium Episcopi filiam, Magnifici, Amplis: & præstantis: viri, Dn. D. JACOBI BORDINGI, Lubecensium Consulis dignis. ex sorore neptem, conjugem sibi adoptavit, quæ ipsum 6. liberorum, quorum 5. adhuc sunt in vivis, patrem fecit. Utrumq; conjugium ut habuit castum, pacificum & foecundum: ita & suavè ac jucundum. Fratrem unicum Dn. JOHANNEM PETREIUM, superioris judicij in inclyta urbe Lubeca Secretarium solertem & industriam, virum doctissimum & exercitissimum, fraterno amore ita est complexus, ut ejus præsentiam in morbo sibi frequenter exoptaverit. Et si verò morbus ab initio levior, neq; Medici ope indigere videba-

videbatur, ut per 14. fermè dies officia vocationis suæ  
more consueto peragere absq; magna difficultate potuerit,  
& cygneam cantionem ipso die Michaelis adhuc publicè  
decantarit, tamen sic ea ipsa hebdomade præter omnem  
tam ipsius quàm aliorum opinionem incrementum sum-  
psit, ut omnem Medicorum & Chirurgorum sedulam & in-  
defessam curam & industriam planè elaserit, Ulcus namq;  
in initio perexiguum fuit, quod tandem in malignum qui-  
dè, at tamen non pestilentem carbunculum degeneravit,  
& cum sedem in interscapulo supra spinam dorsi fixisset,  
nullo negotio per sympathiam viscera omnia, præsertim  
vero vitalia & naturalia in consensum traxit, febriq; con-  
tinuam aliq; symptomata graviora excitavit, quibus cum  
natura & Medicorum auxilia resistere non valerent, hora  
2. pomeridiana diei 29. Octobris, cum excessisset annum  
suum climactericum septimum, naturæ debitum persolvit,  
& inter pijs preces Deo creatori animam reddidit. Ut au-  
tem piè defuncti viri & desideratissimi Collegæ nostri exu-  
vijs iusta solvamus, & nostram condolentiam, humani-  
tatem, ac benevolentiam cum erga tristissimam viduam,  
tùm honestissimam familiam publicè declaremus: omnes  
D. D. M. M. & cives Academiae nostræ amicè rogamus,  
invitamus, & monemus, ut hodiè hora 12. in templo Ma-  
riano tempestivè conveniant, & suæ quoq; mortalitatis  
memores, funus comitari, & utramq; hanc Remp. tam lit-  
terariam, quam politicam pijs precibus Deo commendare  
non graventur. P. P. Rostochij die i. Novembr. An-  
no 1611.



AD

Ad Reverendum Clarissimum & Doctissi-  
mum Virum,  
D. LVCAM BACMEISTERVM,

SUPER OBITU  
Reverendi item & Clarissimi viri,  
M. PAULI PETREI,  
Professoris & Ecclesiastis Rostochiensis,  
ΘΡΗΝΩΔΙΑ.

Sic ais! heu fati nostrum cessisse PETREIVM,  
O mihi precipuo Doctor habende loco!  
Eximium, doctum, multâ Pietate verendum,  
Theologum, sanctâ simplicitate virum!  
Fatis heu nimium rigidis, crudelibus, atris,  
Heu immaturis preproperisq; nimis!  
Sic ais, ô Doctor mihi BACMEISTERE, nec illum  
Quidquam vindicijs asseruisse potè!  
Non PIETAS, non alma FIDES, non quicquid HONESTI  
Nomine perrarâ cum PROBITATE venit!  
Quid dicam aut memorem? quæ tanta hac Numinis ira?  
Quæ causa hunc nobis abstulit atra virum?  
Certè hæc Impietas nostra est, & nescia dignas  
Grates promeritis corda referre viris.  
Certè hæc Impietas nostra est, & scæva libido  
Opprimere infantes innocuosq; viros.  
Plangite Varniades Musa, date pectore plausus,  
Plangite, luctificis illacrymate modis.  
Occidit, heu, vestra clarissima Gemma Corona,  
Occidit Aonijs Duxq; Paterq; chori.  
Occidit eximiâ pollens virtute PETREIVS,  
Et cui se totum sanctus Apollo dedit.

Occidit

Occidit eximia doctrina artiumq; Magister  
 Et cui se totum victor Apollo dedit.  
 Occidit, heu prope, Fato arcessente, per avum  
 Qui Mathusallaum vivere dignus erat.  
 Plangite Varniades Musa, date gutture lessum,  
 Plangite, luctificis Illacrymate modis.  
 Eusebie plangat, & pullâ Ecclesia veste  
 Incedens maestis planctibus ingeminet:  
 O zelum, ô Nemesis, ô justî Numinis iram,  
 Hunc mihi surripuit qua sacrosancta virum!  
 Quo benè Relligio, stabant mea sacra Ministro  
 Quo viguit totâ cultus in urbe Dei!  
 Rex totus plangat, plangent juvenesq; senesq;  
 Cum Patribus plebes cum populoq; patres.  
 Et nos qui tantam multis spectavimus annis  
 Virtutem, propius juncti & amore tibi;  
 Seu tantum quibus audita est rumore secundo  
 Nominis eximij fama benigna tui,  
 Plangimus, heu, meritò tua funera, Dive PETREIE  
 Plangimus, Hamburgum te quoq; maesta dolet.  
 Plangimus & patriæ sortem miseramur acerbam  
 Manibus optantes quaq; secunda pijs.

M. Lambertus Langemacius  
 Verbi divini Minister ad D. Jaco-  
 bi Hamburgi.

Varniades Musæ plangent, & fletibus ipsa  
 Tempa Scholæ resonent, compita, tecta, domus;  
 Turba ruat, juvenes plorent, & grandior ætas  
 Contundat manibus pectora mœsta suis,  
 Et Megalespoleos merito Rex Varnus Aquarum,  
 Cum lachrymarum amplo flumine tristis eat,

B

PETRA.

PETRÆUS Præco nostro Clarissimus ævo  
 Ocubuit, cui vix secla tulere parem,  
 Hic tantum multos excelluit arte Ministros,  
 Quantum sydereos prævia stella choros,  
 Ille salutiferi pandens mysteria verbi,  
 Mitia per Christi pascua duxit Oves,  
 Innocuos fovit, nocuos compefcuit, inter  
 Officij metas continuitq; suos.  
 Hæreticos fudit sacri fundamine verbi,  
 Atq; refutavit voce sonante malos,  
 Hic purè vixit, fuit huic sub pectore clausa  
 Dexteritas, Probitas, cum Pietate Fides.  
 Jam cum longa Deus promittat tempora vitæ  
 Talibus integris & sine labe viris,  
 Heus quæ causa fuit dic crudelissima Parca,  
 Invidiæ tacitum pectore vulnus alens,  
 In medio ætatis contra promissa Jehovahæ  
 Tam rigidè tanti rumpere fila viri?  
 Tanti dico viri, de cujus morte vel ipsa  
 Deberes proprias imbre rigare genas.  
 Desine quæso tuis me duris carpere dictis,  
 Audi me, & dices: Crimine Parca vacas!  
 Caussati causa est, quod causæ causa fuisse  
 Dicitur, ut nobis regula trita refert,  
 Caussatum MORS est, caussati causa fuere,  
 CURÆ, Curarum causa NEFANDA fuit.  
 Hos itaq; incuses, qui causæ causa nefandæ  
 Sunt, & nunc dicas: Crimine Parca vacas.  
 Certè aliquid dicis, nec sunt sine pondere verba,  
 Ingenuè fateor: Crimine Parca vacas.  
 Ergo summe Deus scelerum justissime vindex  
 Percipias Parcæ quæso relata Deæ.

Sed jam.

Sed jam pono modum lachrymis justisq; querelis,  
Omnia commendans facta notanda Deo,  
Dum tamen hoc addam dicturos sæpe dolentes  
Nos hoc, quod verè Comicus ille docet:  
Dona sua incipiunt homines novisse carendo,  
Postq; abiturum cultu digna fuisse vident.

*Johannes Cothman.*

---

**S**icne jaces columen virtutum, docte Magister,  
Aoniq; chori gloria, sicne jaces?  
Qui modo florebas alijs solatia præstans,  
Iam versâ, sicut gramina, forte, cadis.  
Ex quo, quam verè, sit inexorabile fatum,  
Omnibus, & fallax mors, benè quisq; videt:  
Si rerum nobis esset mutabilis ordo?  
Pro te discuperet fundere quisq; preces:  
Pro te quisq; daret pactoli lætus arenas,  
Quem syncerus amor religioq; tenet,  
Pura etenim doctrina fuit, sine crimine vita,  
Dulcis vox, & habens cum gravitate, decus.  
Sed quia fata vetant, supera s evadere ad auras,  
Carminibus cesso, talia velle meis.  
Tu frueris dubiò procul, in cælestibus aulis,  
Aspectu summi, lætitiâq; boni.  
Quo tandem, qui cuncta suo sub numine torquet,  
Sperantes eadem, nos vocet ipse DEUS,

*Johannes Bothvidi Gothus Norcop.*

---

**S**i velit Invidia quisquam deducere nomen,  
Quod nimis hæc videat, nil videt ille mihi.  
Nil etenim illa videt, quæ, quod reliqui esse fatentur,  
Esse negat; contra hoc, quod negat, omnis, ait.

B 2

*Sit do.*



*Sis doctus, doctum esse negas probus, esse negabis  
 Vivere defunctum, vivum obisse cupit.  
 Lucida tu testis mihi LUX, VALIDUMque PEDAMEN,  
 Quæq; nimis subito (heu) nunc PETRA firma cadis.  
 Incolumes odit sprevitq; insania vulgi,  
 Sublatos oculis quasiq; & celebrat.  
 PAULUS obit, tristis crines Ecclesia vellit:  
 PETRA cadit, templi pondera magna tremunt.  
 Antè urbi Deus hunc columen lumenq; salutis  
 Hoc dedit. ingrata, quod dedit, eripuit.  
 Nam quod ei multum jam pridem invidit habenti  
 Exteragens, jam pridem invidet ipsa sibi.  
 Et quid mirer ego, si terra invidit olympus,  
 Huic inviderunt quod reliqui, ipsa sibi?  
 Miror, qua maneat tandem inclementia facti hanc,  
 Sic Deum eximios eximit unde viros!*

Iohannes Tarnovius.

**R**ebus in humanis nulla (ah) constantia certa,  
 Sic tenui prorsus dependent omnia filo!  
 Scilicet hæc vita est magnorum sæpe virorum  
 Perbrevis, ac pariter dubiis objecta periculis:  
 Quin modo qui vixit privatus mox jacet aura  
 Vitali, longo vel tempore vivere dignus.  
 O mors crudelis cur raræ parcere nefcis  
 Virtuti? cur non potius tua noxia tela  
 Eximis in reprobos; orcoq; remittere tentas,  
 Sunt modo qui teneras fruges consumere nati?  
 Ergo quia innocuos ducis tibi plectere laudi,  
 Improba, nil pietas, nil te movet optima virtus.  
 Occidit heu patriæ, Musarum fide columna,

Occi-

Occidit heu subito clarus pietate PETREUS,  
 Rostochij quondam docuit qui laude perenni  
 Per quatuor lustra æterni mysteria verbi.  
 Ah dolor! Ah planctus! vitali desijt aura  
 Vesce, vir præstans, quo non præstantior alter  
 Nec pietate fuit, nec quisquam justior ipso.  
 Juste ergo ut quondam summi, dilecta Deo gens  
 Sacricolæ mortem lacrumis ploravit acerbis:  
 Legiferi ut sancti decies ter mœsta diebus  
 Tristitia deflevit miserando funera luctu:  
 Sic nos, sic sequimur majorum exempla priorum,  
 Jamq; piè flemus spoliati munere tanto  
 Quantum vix iterum referent venientia secla.

*Lucas Stolterfothus*

*Lubebensis.*



O *bstipo si quis meruit capite plorari,*  
*Flebilibusq; cieri usq; elegis meruit;*  
*Obstipo PETREÆ meres capite plorari,*  
*Flebilibusq; cieri usq; meres elegis;*  
*Mortis inorata quod te spem præter, & omnium*  
*Obruerit votum præcipitata dies,*  
*Quæq; Academia prægrandia pulpita, quæq;*  
*Templorum cathedras ingemuisse facit.*  
 O *horrendum, austerum & ineluctabile fatum!*  
*Quanta ô savitia das documenta tua!*  
*Si medico illi anima fugisti parcere parca,*  
*Cui tandem parces imperiosa virot.*

B 3

O *tristite*

O tristem, horrendam ingentem, immanemq̄ ruinam,  
Qua ROSA te PETREE occubuisse videt!  
Nequicquam PETRÆ nomen tibi fata dederunt  
Lapsuro tenues protinus incineres:  
Non ceu dura flex, non ceu PETRA firma stetisti,  
Dura ubi te aggressa est mors sicelice suā:  
Sed flocci, aut si quid floccis exilius, instar  
PETRA cadis firmam non imitata PETRAM.  
Non virtus tua te potuit subtrāxe sepulchro,  
Non divinarum copia dives opum:  
Non pietas potuit, qua non habuisse secundum  
Te jurem, mussante ipsa etiam invidiā;  
Non candor potuit, pra quo non candida dici  
Candentis poterit lactea pluma nivis.  
Dignus eras cervi vivaces vivere soles,  
Secula corvorum vivere dignus eras.  
At nunc dignus eris, cui condoleamus & udis  
Pregnantes oculis eja culemur aquas:  
At modice: nam flere decet pietatis ad usum,  
Ut placeant nobis qua placuere Deo.  
Nunc age supremi sortite palatia cæli  
Aurea, tranquillo PALLE quiesce solo.  
At tu, si poteris aquo securior, i, dic,  
Accedet vita castrina summa mea.

Debita *συνταθείας* ergò f.  
Philippus I. F. Fabricius  
Sclsvicensis.

Perfi.



**P**Er vigiles verbi cum vult benedicere genti,  
mittit ministros providè:

**A**st rapit hos iterum cum vult maledicere ei-  
Iuste supremus arbiter. (dem

**S**ic quoq; complures urbi huic donarat abundè  
veram docerent qui viam.

**H**orum sed rapuit partem (O attendite duri)  
Partem videmus nunc rapi:

**V**indicat en vindex justum pietate **P**ETRE-  
Suis ab oppressoribus. (IVM

**I**psumq; in terris defunctum munere, adipos  
Caeli reducit angelos:

**M**andatur terra corpus; virtute Jehova  
Quod surget extremo die:

**A**st anima in caelis dulcis sunt gaudia vita  
Communicata largiter:

**P**langite nunc Patres quos tangit cura Lycæi,  
Collegam amicum amittitis:

**P**langito Rostochium, pro te quia sapius altè  
Voce ad Deum fudit preces:

**O**btinuitq; tibi, fovam quacunq; rogavit;  
ratasq; sic fudit preces:

Offici-

Officiūq; suū magnā virtute peregit;  
Cui Jova eum profecerat.  
Plangite, quīs vivū toties audire docentem  
Licuit, ademptum plangite:  
Seu quos admonuit, seu quos solamine dulci  
Permulsit; omnes plangite:  
Plangamus pariter; summūq; precemur Jo-  
Vt Orphanos demortui; (vam  
Præcipue, ut cæcum plures conservet ad annos  
Docentium & discipulorum.

IOACHIMUS MOVIVS  
Parchimensis.













**P**ervigiles verbi cum vul  
 mittit ministros pr  
**A**st rapit hos iterum cum vo  
 Iuste supremus arbi  
 Sic quoq; complures urbi hui  
 veram docerent qu  
 Horum sed rapuit partem (C  
 Partem videmus n  
 Vindicat en vindex justum p  
 Suis ab oppressoribu  
 Ipsumq; in terris defunctum  
 Caeli reducit angelo  
 Mandatur terra corpus; vir  
 Quod surget extrem  
**A**st anima in caelis dulcis  
 Communicata largit  
 Plangite nunc Patres quos ta  
 Collegam amicum a  
 Plangito Rostochium, pro t  
 Voce ad Deum fudi  
 Obtinuitq; tibi, Fovam quacu  
 ratasq; sic fudit pre

regenti,  
 icere ei-  
 (dem  
 abunde  
 e duri)  
 ETRE-  
 (IVM  
 adipos  
 va  
 ia vita  
 Lycai,  
 ius altâ  
 vit;  
 Offici-

